

www.e-rara.ch

**Medvlla Theologiæ Practicæ, Principaliore Quæstiones Selectissimos
Conscientiæ Casus Ex Sacramentis in Genere & Specie de gratia
Justificante, Censuris & ex diversissimis Materijs alijs ultra ...**

**Heinlein, Heinrich
Bambergæ, 1674 [erschienen 1675]**

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-57828>

[S. 551 - 600]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

quam voverunt. Ratio est, quia horum vota pendent à consensu alterius, ac proinde includunt hanc tacitam conditionem, nisi superior, vel cuius interest contradixerit. unde si ille certior factus de voto contradixerit, cessabit obligatio. hinc sequitur ad irritationem non requiri causam, sed sufficere irritantis voluntatem, ut docent communiter Theologi.

QUÆSTIO 2.

An peccet qui sine causa irritum fecerit alterius votum?

Negant aliqui. Tum quia totum votum in ejus arbitrium collatum est, nec ulla lege cogitur illud approbare. Tum quia utitur suo jure, sive probet, sive improbet.

Affirmant alii. quia irritare votum alterius sine causa est actus otiosus, cum careat honesto fine; ergo est peccatum saltem veniale. cum quibus

Resp. probabilius est talem non excusari à peccato veniali. Ratio est, quia sine causa velle impedire bonum opus, est malum: cum enim causa nulla rationabilis subest, videtur fieri ex displicentia boni operis.

QUÆSTIO 3.

à quibus possint irritari vota?

Suppono irritationem voti esse ejusdem annulationem, ita ut per illam votum, ac voti obligatio sic evanescat, ac si nunquam fuisset.

Resp. 1. Pater & hoc deficiente Tutor irritare potest vota prolis impuberis, id est, maris ante decimum quartum, & fœminæ ante duodecimum annum emissa, etiam Religionis ingrediendæ; nam quoad statum perpetuum eligendum non judicatur satis prudens.

Item parentes irritare possunt vota personalia filiorum usque ad annum vigesimum quintum (quo tempore solet contingere emancipatio à patria potestate) si bonæ familiæ sint nociva, ut jejunandum laborandum foret, peregrinandi &c. nec non etiam vota realia, nisi fiant de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. est autem votum personale quo promittitur aliqua actio vel omissio; votum reale est, quo res aliqua externa promittitur.

Resp. 2. maritum posse omnia vota
uxoris,

uxoris, irritare eo prorsus modo, quo Pater potest irritare vota filii, idque quàm diu est illi subiecta; non verò si separata sit per divortium: ita docent Stephanus à S. Paulo, Urbanus, Sanchez, Diana, & alii plures apud ipsum part. 3. tract. 4. resol. 220. Etsi Becanus putet, ea vota tantùm irritari posse à marito, quæ ipsi incommodant; vel quæ ad familiæ administrationem pertinent, in quibus maritus est caput uxoris. cuius ratio est, quia uxor non in omnibus est subiecta viro, nec in omnibus ipsius juri officit, nec censenda est ea judicii debilitate, sicut impuberes, ut in omnibus dirigi debeant. itaque maritus juxta hunc auctorem nequit tollere vota certarum precum, eleemosynarum (præsertim ex rebus quarum integram administrationem habet uxor) non mentendi, non omittendi Sacri die festivo, potest tamen tollere votum jejunii, peregrinationis &c. ita Becanus. confirmatur, quia vir non est caput spirituale uxoris, sed tantum politicum, sicut Dominus servi, quem tamen constat sola sibi præjudicantia posse irritare.

Nihilominus prior sententia mihi magis placet. Ratio est, quia licet quoad actum conjugalem, vir & uxor sint pares; at in cæteris vir est caput mulieris. Unde Genes. 3. absolutè dicitur uxori à Deo, *sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* & ad Ephes. 5. *mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesia.* sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus, ubi ponde-ro, subjectionem in omnibus viro, & tan-quam ejus capiti, sicut enim omnes corporis actiones capiti subduntur, ab eoque gubernantur, ita omnes actiones uxoris vi-ro, ut ab ipso gubernentur. Tum quia nullum est tempus, in quo non possit vir uxorem ordinare in bonam gubernationem domus, & familiæ. Tum quia mulier est imprudens, & facilis in verbis & promissis, & ideo Deus subdidit ejus voluntatem viro in votis emittendis. & hæc videtur esse expressa sententia D. Thomæ. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3. ubi sic ait: *quia nullum tempus est, in quo Prelatus non possit subditum circa aliquid occupare, nullum*
votum

votum religiosi est firmum nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existens in domo, nisi sit de consensu patris: nec uxoris, nisi sit de consensu viri. quid clarius? comparat enim D. Thomas uxorem in vovendo religioso, cujus vota posse Prælatum in universum irritare, nemo dubitat. unde apparet argumentum Becani esse exigui valoris.

Porro vota ea quæ juri mariti præjudicant, possunt à viro irritari, quamvis uxor cum illius licentia ea eliquerit, quia vir dans uxori veniam vovendi, non amittit potestatem in uxorem, quapropter omnes supra dicti adhuc possunt vota irritare, licet ea ratificarint, eò quod per hoc non privarint se sua potestate dominativa. licet in sententia probabiliore peccent venialiter, saltem si tunc sine causa id fecerint.

Casus 54.

Maritus vult irritare votum castitatis constante matrimonio ab uxore absque sua licentia emissum, & pro tunc implendum; quæritur an irritare possit?

Negant multi Theologi. quorum Ra-

tio est, quia vir, inquiunt, non habet dominium in uxorem in ordine ad actum conjugalem, sed quoad eum sunt pares *cap. gaudemus de divortio. & cap. si quis uxorem. 32. q. 1.* Nec vir est caput mulieris quo ad eum actum, ut rectè Durandus in 4. d. 38. q. 1. a. 1. annotavit; ergo nullo modo poterit votum uxoris circa eum actum emissum irritare. Nihilominus tamen ex contraria probabiliore sententia

Resp. affirmativè. Ratio est, quia licet vir & uxor sint pares quoad libertatem non petendi, & obligationem reddendi, & ita materia illa non sit viro subjecta; at quoad illam novam obligationem, quæ accidentaria est, uxor subditur viro tanquam capiti, cujus est voluntatem ipsius dirigere, ne imprudenter voveat.

Atque idem sentio licet votum sit integre castitatis, potest enim vir illud omnino irritare, quia militat eadem ratio. nam illa nova obligatio, qua uxor inconsulto viro se adstrinxit, subditur viro; unde si eâ irritatione factâ, uxor adulterium committat, non erit voti rea, nec soluto matrimonio tenebitur ab aliis nuptiis abstinere, ad

re, ad quæ ex vi voti tenebatur, quia
irritatione est extinctum, ita Bartholomæ-
us à S. Fausto citans pro se D. Thom. in 4.
D. 32. in fine, in expositione literæ Magi-
stri, Sot. lib. 7. q. 3. a. 1. & in 4. D. 35. q. 1.
a. 3. Arag. 2. 2. q. 88. a. 8. & alios plures.

Ad argumentum sententiæ negativæ
respondeo, quod licet vir non habeat do-
minium in eam materiam, habet tamen in
voluntatem, qua se obligat.

Casus 55.

Potestne vir irritare votum uxoris de
non petendo debitum, quod absque viri
licentia uxor emisit?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia ta-
le votum vergit in viri præjudicium, cui
onus imponitur semper debitum petendi.

Dices. tale votum uxoris non præjudi-
cat viro, cui illa non subiicitur ex ea parte,
sed est ipsi par; & ideo potest sine facultate
ipsius se taliter obligare, unde uxor abun-
danter satisfacit debito conjugali, reddendo
debitum. *Resp.* licet vir & uxor sint
pares quoad libertatem non petendi, & ita
materiam illa non sit viro subjecta; attamen

quoad illam novam obligationem quam sibi imponit per votum, uxor subditur viro tanquam capiti, cuius est voluntatem ipsius dirigere, ne imprudenter voveat.

Casus 56.

Potestne vir votum castitatis uxoris, quod post consummatum matrimonium de ejus licentia emisit, irritare?

Resp. affirmativè. *Ratio est*, quia licet vir non sit Dominus materiae illius promissæ, sed in illa sit æqualis uxori; attamen tanquam caput est Dominus illius actus liberi, quo uxor tempore subjectionis se voto illo obligavit: & licet ex viri consensu id votum sit factum, inde solum sequitur, quod vir absque *justa causa* irritans peccet, non tamen quod irritatio sit nulla: nec quod sit illicita, quando causa irritandi subest, quia mulier manet subdita viro, non obstante licentia; nec tunc uxor id non implens peccat, ut habetur cap. 30. Numer. si audiens vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quidquid voverat, atque promiserat, reddet. si autem contradixerit, postquam rescivit, portabit

tabit ipse iniquitatem ejus. ubi licet non dicat expressè Scriptura, uxorem esse culpæ immunem, dum viro contradicente, non servat votum, attamen tacitè id significat ibidem ait, culpam uxoris redundare in virum. & ita intelligite eum locum S. August. lib. 4. q. 59. in Numer. & refertur in cap. fin. 33. q. 5.

Idem censeo dicendum, licet uxor de consensu viri vovisset omnimodam castitatem.

Idem dico de votis de rebus ad salutem necessariis factis ab uxore de consensu viri: potest enim vir ea validè irritare, quia eadem militat ratio. cum adhuc licentia data, maneat vir Dominus illius actus liberi, quatenus novam obligationem induxit.

Idem dico de aliis votis communi consensu emissis, ut jejunandi, orandi, dandi eleemosynam, potest enim vir ea vota irritare. quia post talem licentiam, adhuc manet Dominus materiæ promissæ.

Casus 57.

Quid si ambo conjuges de communi consensu votum castitatis emittunt, potestne

testne vir id votum irritare & è contra?

Respondent plurimi neutrum posse in hoc casu alterius votum irritare. Ratio est, quia uterque tunc Juri quod habebat, tum debitum petendi, tum votum irritandi cessit, unde neuter absque sacrilegio adversus votum, & peccato contra justitiam, infringendo pactum cum ea initum, poterit ante dispensationem, sive reddere, sive petere debitum conjugale.

Nihilominus dico, etsi votum continentiae communi consensu emissum, sicut & votum quo uterque ex pacto vovet ingressum Religionis, non possit saltem licetè, ab ullo conjugum irritari, cum uterque tunc cedat suo juri quoad omnem actum conjugalem; si tamen uxor iterum det marito facultatem in corpus, non est improbabile, virum posse validè etiam ista vota irritare; Ratio est, quia per hoc vir restituitur in pristino matrimonii statu, cum uxor ei remittat obligationem non revocandi vota uxoris; & consequenter uxor obtenta hac irritatione poterit licetè petere debitum. pro hac sententia Stephanus à S. Paulo citat Tract. 4. disp. 12. dub. 4. n. 65. doctil-

in praxi servandi.

564

doctissimum Patrem Sanchez versatissimum in hac materia.

Casus 58.

Quid si consentiente marito uxor voveat castitatem; potest ne maritus licitè adhuc petere debitum?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia maritus consentiendo, non videtur renunciare juri suo petendi, nisi id explicet; unde tale votum solùm obligat illam ad non petendum debitum, & ad abstinendum ab omni actu carnali illicito; tenetur tamen marito petenti reddere debitum, nec ipse maritus peccat petendo, cum nec ipse voverit, nec juri suo cedere cogitaverit.

Casus 59.

Potest ne maritus vota ab uxore emissã post matrimonium ratum, nondum tamen consummatum irritare?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia auctoritas mariti in uxorem acquiritur per matrimonium ratum; ergo si mulier vovit, poterit illud ab eo irritari.

Casus 60.

Quid si mulier ante consummatum
matri-

matrimonium religionem voveat, potestne id votum à viro irritari?

Resp. negativè. Ratio est, quia in hoc casu tenetur mulier invito viro non consummare matrimonium, sed votum implere ingrediendo religionem. confirmatur. Tum quia jus facit ei potestatem ingrediendi etiam invito marito; tum quia per hujus voti executionem constituenda est extra mariti potestatem. unde par non est ut maritus possit irritare. Quod si neglecto voto matrimonium consummârit, non poterit absque consensu mariti intrare. quia consummato matrimonio illud jus intrandi amisit, & tenetur marito adhærere, eique debitum reddere. cumque non voverit castitatem, poterit etiam petere. Soluta tamen matrimonio, vel uxor sui juris effecta tenebitur voto satisfacere, quia votum non fuit extinctum, sed suspensa executio.

Probabile tamen putat Lessius cum aliis quibusdam, matrimonio consummato, maritum posse illud votum irritare. quo casu non tenebitur marito mortuo intrare religionem,

Casus 61.

Potestne vir irritare vota uxoris ante matrimonium emissã?

Resp. vota quæ facta sunt à muliere ante matrimonium initum, non possunt postea à viro irritari propriè, sed solum suspendi. Ratio est, quia quando obligatio est contracta, ipsa erat sui juris; neque ratione materiæ, neque ratione gubernationis voluntatis viro subdita. unde non habebant tacitam illam conditionem, Nisi maritus contradixerit. quare non possunt ab eo irritari; nisi irritatio accipiatur latè, ut comprehendat etiam suspensionem. possunt autem suspendi. Ratio est, quia executio potest esse viro molesta; & non decet, ut ea fiat ipso repugnante: soluto tamen matrimonio, vel uxore sui juris effecta, reviviscit vis voti, & tenebitur exequi, si usque ad illud tempus etiam votum se extendebat. hinc si mulier ante matrimonium vovit singulis sextis feriis jejunare, & contracto matrimonio vir executionem huius voti suspendat, non tenetur soluto matrimonio ad jejunia omissa tempore suspensionis

K k

sionis voti : quia fuerunt onus diei , ac proinde transacto die cessavit obligatio : sed tenebitur ab eo tempore soluti matrimonii , ad jejunandum sextis feriis.

Si tamen mulier erat impubes cum votum faceret , vel si votum erat tale , ut à parente vel tutore posset irritari ; probabile est , etiam à marito posse. Ratio est , quia maritus succedit in locum parentis , tutoris & curatoris ad gubernandum eandem voluntatem , ejusque levitati & imprudentiæ succurrendum. ergo sicut votum , quod emisit eo tempore , quo parenti vel tutori erat subjecta , erat pendens ab eorum consensu ; ita etiam pendet à consensu mariti , qui in horum potestatem succedit. nam potestas prima quasi continuatur , etsi in diversis subjectis. Unde sequitur si puella emisit votum Castitatis aut Religionis ante pubertatem , vel realia vota post pubertatem adhuc minor existens , id est ante vigesimum quintum annum expletum , absque eorum quibus suberat facultate ; maritum posse ea irritare , etiam ante consummatum matrimonium , quia statim per ipsum contractum matrimonii rati succedit in illorum potestatem. Si

Si puella carebat parentibus vel tutoribus cum votum faceret, potest matrimonio contracto maritus ejus adhuc illud votum irritare, modò ipsa tunc temporis, cum sibi obligationem imponeret, fuerit in ea ætate, in qua filiorum vota à parentibus, tutoribus, vel curatoribus irrita reddi possunt. Ratio est, quia toto illo tempore, quo secundum leges congruit ei habere tutorem vel curatorem, votum pendet ab illius arbitrio, si contingat illum constitui: atqui maritus succedit in eandem potestatem; ergo etiam ab ejus arbitrio pendet.

Idem dicendum de aliis, qui parentibus vel tutoribus carent, & alicui Magistro, Domino, vel Superiori postea subesse incipiunt. Hinc Dominus potest irritare vota servi impuberis omnia, etiam personalia; & omnia realia puberis; quia est ei loco tutoris & curatoris. Secus si erat major: tunc enim solum sibi præjudicantia potest irritare. Simili modo si Novitius in sæculo vel in Novitiatu emisit vota in ea ætate, in qua, tutor, vel curator, potuisset ea irritare: eadem poterunt etiam à Prælato

Religionis irritari; cum in illorum potestatem succedat.

Casus 62.

Quid si vota uxoris irritentur à viro, & vota viri irritentur ab uxore, reviviscuntne soluto matrimonio?

Resp. negativè. Ratio est, quia per ir-
ritationem obligatio voti est omnino ex-
tincta; at obligatio semel extincta nun-
quam reviviscit amplius ut habetur in l.
cum ex causa. Cod. de remis. pignor. quia
cum jam desierit esse, vires reassumere non
poterit, nisi denuò renovetur, sicut lex
semel cassata non potest amplius obligare,
nisi iterum à Principe imponatur.

Casus 63.

Potestne votum quod emisit uxor im-
plendum post mortem mariti, à marito
irritari?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia uxor
subjecta est viro non solum ratione mate-
riae, sed etiam ratione directionis volunta-
tis; ne novis obligationibus sese sua impru-
dentia & levitate implicet, etiam circa ma-
teriam viro non subditam, quare cum eo

tem

tempore, fiat votum, quo mulier est plene
subjecta viro, sequitur quod voti eius con-
firmatio vel irritatio pendeat à marito.

Casus 64.

Potestne votum integræ castitatis, quod
vir de licentia uxoris emisit, ab uxore ir-
ritari?

Resp. potest uxor ex justa causa licitè
irritare id votum quoad redditionem; &
absque justa causa validè, sed cum pecca-
to. Ratio est, quia post talem licentiam
uxor adhuc manet domina corporis viri,
ac proinde materiæ promissæ; non potest
autem illud votum irritare quoad reli-
quos effectus. unde vir in casu tenebitur
non petere, & ea mortua à secundis nupti-
is abstinere, & si cum aliena commisceat-
ur, peccabit contra votum: quia cum
tantum habeat dominium corporis viri
quoad obligationem, quam habet vir red-
dendi; non autem quoad cæteros castita-
tis actus, ad quos votum obligat, non po-
terit irritare, nisi quoad illum solum actum.

Casus 65.

Potestne vir irritare vota uxoris sine sua

licentia emissâ implenda post mortem viri?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia uxor non tantum subditur viro quoad materiam promissam, sed etiam quoad voluntatem, quâ vovet, ne imprudenter se liget. ita Bartholomæus à S. Fausto lib. 2. de votorum irritatione citans pro se varios Theologos.

Casus 66.

Potestne vir irritare votum castitatis factum ab uxore sine sua licentia, implendum pro tempore, quo sui juris erit?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia voluntas uxoris dum id promittit, est sub viri potestate, ab eoque gubernanda, ne imprudenter voto se liget: potest autem imprudentia reperiri in promittenda castitate in tempus soluti matrimonii; ergo,

Dices, quid si uxor constante matrimonio emittat votum ingrediendi religionem exequendum post mortem viri?

Resp. etiam hoc votum potest irritari à marito.

Ratio est, quia id votum tempore subjectionis emissū est, & dum subiecta est, irritatur.

tur, nec per illud eximitur à viri potestate.

Casus 67.

Potestne vir succedens irritare vota uxoris facta tempore prioris viri, absque ejus licentia?

Resp. affirmativè. hinc si mulier nupta, absque viri licentia votum emisit, quod ille poterat irritare, & non irritavit, poterit sequens vir ea irritare; & similiter si nondum nupta, & impubes emisit votum personale, vel pubes, minor tamen, votum reale absque parentum, aut tutoris licentia; poterit vir, cui postea nubit, ea irritare; sicut poterant parentes, aut tutores.

Ratio est, quia maritus succedit in locum patris, aut tutoris, ut gubernet eandem voluntatem.

Casus 68.

Quid si maritus dicat uxori, se illi dare facultatem irrevocabilem votendi; poteritne adhuc validè irritare?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia maritus non potest à se abdicare curam & potestatem gubernandi uxorem. Nec potest etiam concedere illi bonorum administra-

tionem independentem à sua voluntate, ac proinde poterit omnia ejus vota realia irritare,

Casus 69.

Potestne uxor irritare aliqua viri vota absque sua licentia emissa?

Negant Sotus & Azor. Ratio est, quia uxor non habet dominium voluntatis viri, imò ipsi tanquam capiti subest, nec etiam materiae promissae, quoniam hoc maximè locum haberet quoad actus matrimonii, quoad illos autem conjuges sunt pares. Nihilominus

Resp. absque dubio tenendum est, posse uxorem ea tantum vota viri irritare, quae in ipsius praesudicium cedunt quoad moderatam debiti redditionem, aut mutuam cohabitationem. Ratio est, quia per contractum matrimonii, uxor habet dominium, & potestatem corporis viri quoad debitum sibi moderatè reddendum, & cohabitandum. 1. Cor. 7. ergo vota huic dominio praesudicantia irritare poterit.

Sequitur 1. Si maritus absque uxoris consensu longam peregrinationem vove-

at.

at, posse id votum ab uxore irritari.

Sequitur 2. si vir absque uxoris licentia eas preces, abstinencias, aut vigilias voveat, quæ ita debilitent vires, ut ineptus sit ad reddendum moderatè debitum, possunt talia vota ab uxore tanquam sibi præjudicantia irritari; secus autem si illa sint moderata.

Sequitur 3. uxorem non posse ea vota in totum revocare, sed solum excessum sibi præjudicantem. Ratio est, quia solum potest irritare vota, in quantum actum matrimonialem impediunt; at solus excessus ille promissus est hujusmodi; ergo solus ille irritari poterit. Cap. quidā & Cap. placet de convers. conjug.

Casus 70.

Potestne uxor irritare votum viri de non petendo debitū absque ejus licentia factū?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia tale votum viri cedit in maximum uxoris gravamen, nam contra naturalem mulierum verècundiam cogetur semper petere.

Casus 71.

Potestne pater irritare quæcumque im-

puberum vota, siue realia, siue personalia, siue mixta?

Nota votum personale est, quo promittitur aliqua actio vel omissio; votum reale est, quo res aliqua externa promittitur; votum mixtum est, quo utrumque promittitur, ut peregrinatio cum oblatione.

Resp. affirmativè. Ratio est, quia ante pubertatis annum non præsumitur filius passim habere satis iudicii, ut maturè & prudenter vovere queat. quare ne imprudenter se votis involvat, voluit jus omnia ejus vota esse subiecta potestati patris, cui subest per tacitam conditionem, quæ votis inest. poteritque talis subditus irritationem hujusmodi votorum petere, imò nonnunquam *Confessarius* consulere potest, ut talem irritationem petat.

Casus 72.

Potestne pater irritare vota personalia, aut realia, aut mixta, quæ filius impubes emisit exequenda mortuo patre, aut post pubertatem?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia omnia vota filii impuberis ex dispositione juris habent

habet imbibitam conditionem pendentem ex patris consensu ob imbecille ac imperfectum adhuc iudicium, quod in illius votis locum habet. confirmatur. quia paterna potestas irritandi vota, est præcipue collata ad omnimodam impuberis gubernandam voluntatem imperfecto rationis usus gaudentem, quæ ideo errare potest, non minus circa obligationes implendas post pûbertatem, quàm circa implendas dum est impubes.

Casus 73.

Quid si pater vota personalia, aut realia à filio familias emissa, dum erat sub potestate patris, non irritavit; potestne postea, dum est extra illius curam, illa irritare? v. g. emisit filius ante annum 14. votum aliquod personale, ut castitatem, vel religionem, aut ante 25. votum aliquod reale, ut eleemosynam, quæ à patre his temporibus non fuerunt irritata, quæritur an possint nunc ab eo irritari?

Negant aliqui, fundamentum est, quia potestas irritandi vota est solum concessa durante subiectione: ergo ea finita non poterit amplius irritare. sicut si Dominus vo-

tum servi dum in illius potestate erat, non irritavit, postquam is est libertatem consecutus, non potest irritare. nihilominus ego cum pluribus aliis

Resp. affirmativè. Ratio est, quia nulla mutatio in illis votis ex parte rei est facta, per hoc quod filius annos pubertatis exivit: unde ipsa adhuc manent implicite conditionata, sicut erant à principio, nempe *nisi pater contradixerit*; ergo post annos pubertatis irritari possunt à patre, sicut intra annos pubertatis potuerunt. itaque cum conditio adhuc maneat, & firmitatem voti quasi suspensam teneat; si pater nolit esse firmam, desinet obligatio; quia ut ex reg. juris in 6. habetur; quæ à principio non tenentur, tractu solo temporis non firmanentur. Confirmatur, quia vota illa à principio fuerunt infirma & irritabilia, & nunquam fuerunt confirmata, ut suppono; ergo semper retinent illam infirmitatem; ergo semper irritari possunt.

Quare ad argumentum contrariæ sententiæ respondeo disparem esse rationem: nam in votis filii, irritatio patri conceditur, quia iudicium illius est imbecille, & imper-

imperfectum: in votis verò servi, Domino facultas irritandi datur propter præjudicium, quod ei ex talibus votis irrogatur. unde quando ea in ejus præjudicium non redundant, non potest irritare; vota autem impuberum possunt semper irritari, quia sunt ea ætate emissa, qua habent imbibitam conditionem pendentem ex patris consensu, ob imbecille & imperfectum eorum judicium; quæ qualitas semper manet in illis votis, nisi denique confirmetur.

Dices. potestne pater adhuc irritare votum illud, etsi dubitet an filius familias ante annos pubertatis illud emisit? *Resp. affirmativè.* Ratio est, quia pater possidet jus suum, quo non privatur in casu dubio. confirmatur, quia in simili dubio non judicatur impubes factus pubes quoad alios effectus, v. g. quoad agendum in judicio &c.

Casus 74.

Titius ante annos pubertatis emisit votum, & postea cum est sui juris, credens suum votum esse absolutè validum, pro-

ponit centies aut millies illud servare; censetur ne hoc ipso suum votum approbare aut ratificare?

Resp. negativè. Ratio est, quia ut quis censeatur aliquid ratificare, necesse est, ut sciens esse invalidum, velit esse validum; vel si nihil de ea re sciat, ut saltem intendat illud confirmare etiam eo eventu, quo invalidum fuisset.

Dices. censetur ne Titius saltem tunc ratificare votum, quando pubes factus recordatur prioris voti, & illud ratificat, ignorans id esse irritabile? Resp. negativè. Ratio est, quia ignorantia tollit voluntariam confirmationem ex ea procedentem.

Casus 75.

Possuntne etiam vota Religiosorum à suis Prælati irritari?

Resp. 1. Prælati nequit irritare votum Religiosi transeundi ad strictiorem regulam. Ratio est, quia est de re, in qua Religiosus non est suo Prælato subiectus: nam Cap. licet de regul. cuiuslibet Religioso conceditur libera facultas ad arctiorem religionem transire petita, etsi non obtenta

Supe.

Superioris licentiâ: & dum per professionem traditur voluntatis dominium Superiori, intelligitur ab eo is transitus exceptus. Deinde in omnium sententia nequit Prælati vota religionis essentialia irritare.

Resp. 2. omnia alia absolute irritare potest Prælati.

Probatur. quia voluntas Religiosorum debet esse perfecte subiecta & dependens à voluntate Superioris, in omnibus, quæ ad vitæ directionem pertinent: ergo etiam in novis obligationibus suscipiendis. Verum quia ex hac ratione videtur sequi, Superiorem posse præcipere vel prohibere actus merè internos, quod tamen communiter negatur; idcirco putat Lessius, id non posse valide probari ex natura rei, sive professionis, sive status religiosi (nihil enim horum tantam subjectionem vel dependentiam voluntatis postulat) sed causa referenda est in dispositionem juris. sicut enim ex dispositione juris in omnibus votis impuberum est tacita conditio, si pater, vel tutor, non contradixerit: ita in omnibus votis Religiosorum ex ejusdem juris dispositione videtur inesse hæc tacita
con-

conditio, nisi Prælati contradixerit. habet enim Ecclesia potestatem ita statuendi in votis & juramentis, quando iusta causa subest: sicut potestas civilis potest præscribere formulas in contractibus, & apponere conditiones, quæ semper intelligi censeantur; etiam si à contrahentibus additæ, vel cogitatæ non fuerint. subest autem hic iusta causa: quia ut melius Religiosi in via spirituali à suis Prælati dirigantur, expedit ut in omnibus à directione ipsorum pendeant; nec possint se novis obligationibus etiam circa materiam præceptam ita implicare, quin Prælati eas possit tollere. *simili modo*, quia expediebat, eos qui nondum annos pubertatis impleverunt in omnibus dirigi à parentibus; vel iis qui ipsis loco parentum sunt (eo quod sæpè iudicium illius ætatis non sit satis maturum) statuit, ut omnia illorum vota & juramenta promissoria haberent tacitam conditionem, *Si parens non contradixerit.*

Dices. sed unde constat, Ecclesiam ita de votis Religiosorum statuisse? Respon-
deo, id colligi ex usu ipso, & praxi recepta in religionibus; quæ non potest ali-
unde

unde quàm ex Ecclesiæ consensu provenire,

Addo similiter ad jam dicta etiam posse Abbatissam omnia Monialium vota irritare, ita ut non reviviscant, siue sint illa de operibus supererogationis, siue sub præcepto. Ratio est, quia non solum Prælati, sed etiam ipsi Abbatissæ emittitur votum obedientiæ; & ideo earum vota non sunt firma, sed includunt tacitam conditionem, si Abbatissa consenserit, aut saltem non contradixerit.

Casus 76.

Titius propria sua auctoritate vult votum suum commutare in id, quod constat esse melius, vel æquale; quæritur an licitè possit?

Nota. voti commutatio juxta Cap. pervenit, 2. de jure jurando, est substitutio operis honesti loco alterius per votum promissi, eodem vinculo manente, potestque tripliciter fieri, nempe in opus melius, æquale, & minus bonum.

Resp. 1. quisque potest sua auctoritate votum suum commutare in id, quod constat esse melius. probatur 1. ex Cap. pervenit,

nit, 2. de iurejurando: *propositum seu promissum non infringit, qui in melius illud commutat.* probatur 2. quia in eo, quod melius est, censetur contineri quod minus est. unde dando melius excellenter solvit, quod promiserat. sic inter homines optime solvit promissum, qui dat id, quod promissario est gratius; ut si loco canis promissi, des equum; vel loco ovis, bovem; loco nummi argentei, aureum. quare ad hoc nulla requiritur causa, quia votum nunquam obligavit ad omittendum bonum majus. hinc fit ut votum orandi septem psalmos, possim commutare in votum faciendi sacrum. Dicitur autem hic *melius quod omnibus inspectis Deo magis placet.* et si enim *per se & ex suo genere* melior sit oratio quam jejunium, & Eleemosyna quam carnis afflictio per cilicium; tamen qui vovit jejunium vel cilicium, non potest suo arbitrio ista in orationem aliquam vel eleemosynam commutare: quia non semper Deo gratius est nos id facere, quod per se est excellentius; sed quod pro tempore, loco, & dispositione nostra magis congruit ad nostram salutem à nobis fieri.

fieri. itaque in hoc poterit fieri commutatio: abundè enim satisfacit promissioni, qui loco rei promissæ, solvit promissario id, quod est ei gratius, ita Lessius.

Docet quoque Burghaber eum, qui vovisset uni Ecclesiæ dare calicem argenteum, quam postea audit prædixitum esse, posse illum dare alteri Ecclesiæ, quæ in tanta est paupertate, ut non nisi unicum calicem stanneum habeat, idque licet Rector primæ Ecclesiæ votum & promissionem acceptasset, ita citatus auctor Centur. 2. casu 35.

Neque dicas. nemo potest esse iudex in propria causa. hoc solum verum est, si pars altera sit invita; secus si consentiat, ut in casu posito.

Resp. 2. potest etiam ipse vovens propria auctoritate suum votum commutare in aliud æquale. ita multi Theologi. addit Diana p. 3. Tract. 5, resol. 25. id licitè fieri etiam sine justa causa, pro se citans Villalobos, præter Bonacinam, & Fernandez, quos citaverat p. 2. Tract. 2, resol. 7. atque id in praxi tutum esse existimat Pater Urbanus Teste Stephano à S. Paulo
Tract

Tract. 4. Disp. 4. n. 68. Ratio est, quia nulla fit Deo injuria, cum ei reddatur res æquæ grata.

Ex quo infertur, eum qui vovit intrare certam religionem, & postea eligit aliam æqualem: vel si promisit certam pecuni-
am, & postea dat calicem ejusdem valo-
ris, abundè suo voto satisfacere.

Attamen tutius est votum non commu-
tare in id, quod putatur æquale, nisi au-
thoritate Superioris, aut prudentis Con-
fessarii: si verò vovens non possit, vel non
velit Superiorem aut Confessarium adire,
securius commutabi in melius.

Resp. 3. ad commutandum votum in
minus bonum, Superioris autoritas re-
quiritur. Ratio est, quia in tali commuta-
tione admiscetur dispensatio, qua condo-
natur pars ejus, quod ex voto debetur Deo;
ad dispensandum autem semper requiritur
Prælati autoritas; ergo & ad commuta-
tionem in minus bonum, quare monet Ca-
jetanus 2, 2. q. 88 art. 12. quod quando
petitur commutatio simul etiam petatur
dispensatio, ut commutatio sit securior.

Resp. 4. Omnia vota ante emissã pos-
sunt

sunt commutari propria auctoritate in vota religionis, quæ in professione sunt; nempe in votum paupertatis, castitatis & obedientiæ perpetuæ. est communis & colligitur ex Cap. scripturæ de voto, ubi Alexander III. sic ait: Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam religionis observantiam nescitur commutare. Vota Novitiorum ante emissam possunt durante novitiatu auctoritate Prælati commutari in exercitia religionis, donec vel profiteantur, vel egrediantur. addit Stephanus à S. Paulo eo ipso, quo quis prædicta tria vota profiteretur, omnia illa vota obligare desinunt, idque communiter doceri à Doctoribus.

Resp. 5. quisquis habet potestatem dispensandi ordinariam vel delegatam, habet etiam commutandi: non tamen e contra. Ratio primæ partis est, quia commutatio est quædam pars dispensationis, vel imperfecta quædam dispensatio, ut patet ex c. 1. de voto. qui autem potest, quod majus est, potest etiam quod minus est. Ratio secundæ partis est, quia non statim, qui potest, quod minus est, potest etiam quod majus est.

Resp.

Resp. 6. quod ad causam attinet, ad commutationem minor requiritur causa quam ad dispensationem, quia dispensatio omnino liberat, commutatio aliud subrogat. unde si auctoritate propria voventis commutatio voti fiat in melius, nulla alia causa requiritur, si in æquale, sufficit major voluntatis in illud propensio, sive quod suavius hilariusque vovens adimplebit materiam voti subrogati. Si inæquale & auctoritate Superioris, Sanchez, Diana & alii Teste Stephano à S. Paulo docent, satis probabile esse, solam voventis petitionem esse causam sufficientem, & nullam requiri causam aliam. Si autem dubitetur an sit æquale, sufficit aliqua notabilis molestia in implendo, vel magna fragilitas cum periculo violandi, vel repugnantia parentis aut mariti, vel simile quoddam juxta prudentis æstimationem. adde quod æqualitas materiæ commutandæ auctoritate Superioris non debeat spectari physicè, sed moraliter; licet enim illa materia sit minor, quam materia prior, si tamen sit Deo gratior, quia scilicet promptius & devotius perficitur, plurius etiam æstimanda est.

Resp.

Resp. 7. potest vovens factâ commutatione redire ad prius votum omisso eo, in quod facta est commutatio. Ratio est, quia commutatio voti facta est in ipsius favorem, unde potest ei renunciare; alioqui non tam esset favor quam onus. quare dum mutatio est sæpius facta, licitum est redire ad quodvis eorum; Ratio est jam data; quia commutatio fit in vovens favorem, qui favori proprio ad libitum cedere potest; nam ut observat Malderus ex Cap. statuimus de Regularibus. *potest quisque ei renunciare, quod pro se noscitur introductum.* addo tamen, si voti commutati materia fiat mala, indifferens &c. voventem reddi liberum ab omni obligatione, nec teneri eum redire ad materiam priorem: quia obligatio prioris in commutatione est extincta.

Casus 77

Titius libenter vellet secum dispensari in votis; quæritur à quibus, & quas ob causas possit dispensationem obtinere?

Resp. 1. dispensatio, est rigoris juris, per eum, ad quem spectat, misericors, & cano-

canonicè facta relaxatio, ita Lezana verbo *dispensation. 2.* ex Hostiensi & Sylvestro, dispensatio autem in voto, est vinculi relaxatio, & debiti vovendo erga Deum contracti condonatio, facta nomine Dei. cum enim, inquit Lessius, vovendo te obstrinxeris Deo, eique factus sis debitor certis operis, solvi eo debito nequis, nisi ipse vel alius ejus nomine & auctoritate condonet: sicut videmus in promissis humanis.

Resp. 2. est in Ecclesia potestas dispensandi in votis, juramentis, & similibus obligationibus, & debitis erga Deum contractis. probatur ex Scriptura Matt. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* & rursus Matt. 18. *amen dico vobis, quaecumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis;* quæ verba sicut generalia sunt, ita intelligi debent de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, & aliquando solvi expedit.

Resp. 3. hæc potestas jure ordinario competit solis Prælati habentibus jurisdictionem in foro externo. probatur 1. quia per-

pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem; sicut potestas relaxandi leges, conferendi indulgentias, excommunicandi: ergo iis solis competit, qui Ecclesiæ administrandæ præsumt. probatur 2. quia hæc potestas non Ordinis, sed jurisdictionis; unde non competit cuivis Sacerdoti, nec ad eam requiritur sacerdotium, aut alius Ordo sacer; sed solum jurisdictione Ecclesiastica in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato ante ordinationem. ex delegatione tamen vel privilegio hæc potestas potest etiam aliis conferri; propterea statim initio hujus responsionis dixi *jure ordinario*.

Resp. 4. requiritur tamen iusta causa non tantum ut dispensatio licite, sed etiam ut valide fiat in votis; idque tam à Papa, quam ab aliis. quidquid aliqui teste Stephano à S. Paulo Tract. 4. disp. 12. dub. 6. §. 6. n. 74. contra communem doceant, id non extendi ad Papam, eò quod velint in omni voto hanc inesse conditionem: nisi Papa aliter disposuerit. verum hoc plane gratis asseri censeo, quia non video, quo fundamento dicantur fidelium volun-

tates ita à voluntate Papæ in omni materia dependere. probatur igitur nostra responsio; quia inferior non potest validè dispensare in lege Superioris sine causa; ergo nec Papa, qui est inferior Dei, potest validè sine causa dispensare in votis: nam longè plus est, iura suo Superiori ac Domino debita remittere, eorumque obligationem relaxare, quàm aliquem eximere ab obligatione servandæ legis sui Superioris ac Domini; in hoc enim non sentit Dominus præjudicium sicut in alio.

Resp. 5. causæ dispensandi in votis, possunt esse v. g. utilitas Ecclesiæ, honor Dei, difficultas magna superveniens, bonum commune Reipublicæ, utilitas voventis, ac magna ejusdem fragilitas, per quam timetur sæpius violaturus votum. deinde faciliorem impetrationem faciunt levitas materiæ, inconsideratio, inconstantia, timor, vel alia imperfectio actus vovendi; quæ etiam justam dispensandi causam constituent, si adsit vel leve periculum violandi. idque ideo ne obligatio pro charitatis perfectione inducta vergat in ejus dispendium; idque in Christi honorem, ac Ecclesiæ

ecclesiæ utilitatem redundat, ne homines laqueis irretiti sint. denique dum causa non est sufficiens ad integram dispensationem, partim dispensari, partim commutari poterit. imò cenſeo raro utendum eſſe pura dispensatione; eò quod raro ſubſit juſta cauſa, ut ſine ullo onere condonetur, cum infidelis diſpenſator habeatur, qui cum minori jactura potens aliquid efficere, cum majori facit, quare ſaltem erit optimum conſilium admiſcere diſpenſationi aliquã voti commutationem. & quo cauſa diſpenſandi major eſt, eo minor commutatio exigitur.

Reſp. 6. Papa ex juſta cauſa poteſt relaxare votum ſolemne religionis, & concedere, ut Religioſus matrimonium contrahat, probatur 1. quia Summus Pontifex poteſt relaxare votum ſimplex caſtitaſis perpetuæ, ut omnes concedunt; ergo etiam ſolemne, quia ſolemnitas voti ſola Eccleſiæ conſtitutione eſt introducta. atqui Eccleſia poteſt relaxare ſuam conſtitutionem. 2. Papa poteſt diſpenſare in voto ſolemni Clericorum, ut fatetur D. Thomas & alii paſſim; ergo etiam in voto ſo-

lemni Monachorum: non enim illud est minus solemne, nec minus continet sui traditionem, quàm hoc: nec refert, quòd illud non sit essentialiter annexum Ordini sacro, sicut hoc statui religioso; quia inde solum sequitur fieri non posse, ut quis maneat Religiosus soluto voto; non autem sequitur votum tolli non posse unà cum statu religioso. confirmatur. quia Papa sæpè usus est hac potestate, ut fide digni Authores referunt.

Dices. votum castitatis est essentialiter annexum statui religioso: ergo ab eo non potest divelli: ergo nec tolli potest ab homine habente talem statum, quia ille status non potest tolli ab homine. hoc probatur, quia hic status consistit in quadam consecratione per quam homo totus Deo consecratur; id autem quod semel Deo consecratum est, non potest amplius adusus humanos converti, nec potest desinere esse consecratum, quàm diu manet integrum: ut patet in calice consecrato, & in homine consecrato in Sacerdotem; ergo qui semel consecratus est per votum religionis, non potest desinere esse Religiosus.

hinc

hinc ulterius inferitur non posse dispensari in voto solemnī paupertatis & obedientiæ: quia etiam hæc vota essentialiter sunt statui religioso annexa, vel potius innixa, & intrinsicè inclusa. Totus hic discursus consistit in duabus propositionibus. Prior est. Votum castitatis est essentialiter annexum statui religioso. hæc est verissima, & ab omnibus conceditur: & apertè colligitur ex Cap. cum ad Monasterium. de statu Monachorum. altera est. status religiosus non potest tolli ab homine, quàm diu vivit: hæc est ambigua & à multis negatur. probari tamen potest 1. quia nihil est melius continentia, quo possit pro ea fieri compensatio, juxta illud Ecclesiastici 26. omnis ponderatio non est digna animæ continentis. 2. in voto solemnī est traditio sui, ad cultum divinum; in voto simplici solum est promissio: id autem quod semel est traditum non potest unquam repeti. 3. si posset Papa dispensare in voto continentiæ solemnī, posset fieri ut vivente priore uxore posset quis ducere secundam, ut si Petrus ductâ uxore, ante matrimonium consummatum ingrediatur re-

ligionem: deinde Papa dispensante egradiatur, & ducat secundam.

Responderetur negandum est, statum Religiosorum non posse auferri ab homine; non enim consistit in aliqua consecratione, sed in ipsa votorum obligatione; quatenus sit in promissione religionis approbatæ: obligatio enim voti potest auferri ab homine, ut patet in voto sacris Ordinibus annexo, nec quæ adduntur aliquid evincunt. ad 1. enim resp. Scriptura non confert continentiam cum cæteris virtutibus, sed cum talentis auri. ad 2. resp. etiam in voto simplici est traditio sui, quia per votum simplex castitatis statim tenetur homo ad omnia ea, ad quæ per votum castitatis solemne tenetur. ad 3. resp. negandum est illum habiturum duas uxores vivas, quia prior per religionis professionem desuit esse uxor, cum per professionem religionis solum sit vinculum conjugale.

Instas. Si Pontifex talis voti vinculum posset tollere, posset etiam tollere vinculum matrimonii rati, quod solvitur professione. atqui hoc videtur absurdum. ergo.

30. resp. non est absurdum, sed valde probabile, Pontificem ex causa posse dispensare in matrimonio rato non consummato, ut docent plerique Canonistæ & Jurisperiti.

Resp. 7. ex communi sententia hæc quinque vota esse Summo Pontifici reservata, nempe votum castitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. hinc sequitur, Episcopum posse dispensare 1. in voto religionis non approbatæ, & in voto paupertatis & obedientiæ perpetuæ in tali religione: quia tale votum non est verè religionis votum, cum religio non approbata à Sede Apostolica, non sit religio. 2. in voto castitatis non perpetuæ. 3. in voto non fornicandi, non petendi debitum; quia non sunt vota castitatis integræ, sed partis tantum. nec refert, etiamsi communi consensu conjuges vovissent nec petere debitum, nec reddere, nec fornicari; quia adhuc non est votum integræ castitatis. relinquitur enim libertas transeundi ad secundas nuptias. 4. in voto non nubendi. quia hoc multum

differt à voto castitatis, cum per fornicationem non violetur, §. in voto suscipiendi sacros Ordines; quia non est votum castitatis, etsi hoc votum susceptioni ordinum sit annexum. 6. potest etiam dispensare in qualitatibus quibusdam substantiæ voti reservati adjunctis; ut si vovisti ingredi religionem strictam, potest commutare in laxiorem; hoc enim non est dispensare in voto religionis; quia dispensatio est absolutio & liberatio, ille autem non liberatur à religione, sed solum à quadam religionis qualitate. Itaque non est dispensatio in voto ut ad substantiam religionis obstringit, sed solum ut ad illius quandam qualitatem. ita Silvest. votum 4. n. 3. §. sextum. similiter potest dispensare, ut professus in arctiori transeat ad laxiorem, nisi statutum aliquod peculiare à Pontifice approbatum obstat. idem potest Abbas, cum consensu tamen conventûs, ut ibidem docet Silvester. & iisdem verbis Divus Antoninus p. 2. tit. ii. cap. 2. §. 9. idcirco autem requiritur consensus conventûs, quia (inquit D. Antoninus) non potest Abbas absque consensu conventûs alienare personam

conventus, nisi hoc habeat ex privilegio speciali. 7. si Pontifex votum sibi reservatum commutasset in aliud non reservatum, posset Episcopus postea in hoc dispensare; quia est novum votum, per se non reservatum. 8. potest etiam dispensare in voto virginitatis, si vovens nihil aliud intendat quàm se obligare præcisè ad integritatem carnis conservandam: tunc enim amissa virginitate per primum peccatum, extinguitur obligatio voti; quia res est impossibilis. 9. potest Episcopus dispensare in voto castitatis emissio ab uno conjugum etiam cum licentia alterius conjugis, quia nisi concedens facultatem simul cedat jure petendi, non erit votum integræ castitatis, cum vovens non possit se eximere ab obligatione reddendi. 10. potest dispensare in voto nunquam petendi dispensationem, quia nec hoc est reservatum. item potest Episcopus in dictis votis generaliter dispensare 1. si sunt emissæ, ex metu injustè incusso. 2. quando materia horum votorum deficit à naturâ materiæ reservatæ, ut quando non tota materia promissa est reservata, ut v. g. dum quis facit votum dis-

jun-

junctivum castitatis, aut jejunii, vel si animus voventis fuerit se obligandi sub veniali; tunc enim simile votum non est perfectum, nec consequenter reservatum: vel etiam, si dicta vota solum sint conditionalia, aut poenalia; item quando illa vota non sunt principalia, sed accessoria, ut contingit in voto suscipiendi sacros Ordines. addit Corneio teste Stephano à S. Paulo, posse Episcopum dispensare in voto castitatis perpetuæ, aut religionis, quando non est facilis aditus ad Pontificem paupertate voventis, aut alia causa; vel si quidem est facilis, tamen in mora imminet grave periculum, sive incontinentiæ, sive scandali, sive nocummenti tertiæ personæ, quia præsumendum est, in his casibus noluisse Pontificem cum tanto animarum detrimento dispensationem sibi reservare. adverte interea ex Stephano à S. Paulo Episcopum non posse absque urgentissima causa dispensare in voto quocunque facto in alterius utilitatem, si ab hoc fuerit acceptatum; quia hic acquisivit jus, ad rem devotam. Episcopus autem vel alius superior, nequit absque urgentissima causa aliquem private jure sibi acquisito. Resp.

Resp. 8. Benedictini per privilegium sibi concessum ab Eugenio IV. à Martino V. & Pio II. possunt dispensare in votis quorumcunque fidelium utriusque sexus, etiam Episcopo reservatis, & ea commutare in alia pietatis opera toties, quoties expedire videbitur, ut habetur in compendio Benedictinorum *Vallis Oletti*. pag. 45. & refertur in compendio Societatis Jesu. Verbo. dispensatio. §. 10.

Resp. 9. similiter Mendicantes per privilegium sibi concessum ab Innocentio VIII. possunt dispensare in omnibus votis in quibus possunt Episcopi excepto voto peregrinationis ultra duas dietas, (id est, 20. milliaria italica) ut habetur in privilegio Mendicantium. Verbo dispensatio. imò etiam in hoc possunt, ait Lessius, lib. 2. cap. 40. dub. 18. n. 134. si sint participes facultatis à Martino V. concessæ Benedictinis. hæ tamen facultates non competunt singulis personis, nisi per Superiorem & juxta illius moderationem ait idem ibidem. sed quid singuli ordines possint ex eorum privilegiis colligendum est.

Verum difficultas magna est, an quando

do Episcopi per accidens dispensare possunt in votis reservatis Papæ, tunc id etiam Mendicantes & Benedictini præstare possint? affirmativa sententia magnis Theologis videtur probabilis. Ratio est, qui in omnibus illis votis dispensare possunt Mendicantes & Benedictini, in quibus dispensant potestate ordinaria Episcopi; sed quando Episcopi dispensant per accidens in votis reservatis Papæ, dispensant potestate ordinaria, ergo, prob. Min. quia illa potestas ordinaria, quæ erat Episcopis sublata per reservationem, restituitur stante justo impedimento recurrendi ad Papam prout docet Pouërre p. 1. Verbo. votum. n. 33. citans Avilam, Henriquez & Hurtadum, posse autem Mendicantes (& consequenter quoad hoc Benedictinos, ob paritatem privilegii parem habentes potestatem dispensandi) dispensare in votis quibuscunque, in iis casibus, in quibus potestate ordinaria, possunt Episcopi, probat ibidem n. 84. atque hanc sententiam esse probabilem censet Crouzers Capucinus ob eandem rationem; qui & probat dictam potestatem Episcoporum esse ordinari-

nariam; quia perpetuò annexa est dignitati
Episcopali, idque jure ordinario, per quod
illis dicta facultas manet, quamdiu ipsis
legitimè sublata non fuerit circa similes ca-
sus. ob hanc rationem asserit Bassæus, sen-
tentiam Croufers sibi placere, maximè,
quia anno 1629. in Consistorio sacræ Con-
gregationis visa & tolerata fuit. hoc si ve-
rum sit (& sanè quis tanto viro in re tanta
diffidat) non video, cur praticare non
liceat.

Resp. 10. Confessarii Regulares, si sint
viri docti & juxta normam concilii Tri-
dentini approbati possunt dispensare in pe-
titione debiti cum iis, qui post emissum
votum castitatis consummarunt matrimo-
nium; idque ex privilegio Pii V. quod re-
fertur in compendio privilegiorum Socie-
tatis Verb. dispensatio §. 9. imò Sanchez
in decalog. cap. 34. n. 10. addit, illos id
etiam posse ante consummatum matrimo-
nium citans Sayrum; si tamen, inquit, an-
te vel post matrimonium nondum con-
summatum, conjux voverit ingressum Re-
ligionis approbatæ, cum eo non possunt
dispensare, neque ut petat neque ut red-

dardebitum; quia neque hoc potest Episcopus. possunt autem dispensare in petitione debiti cum eo conjugē, qui stante matrimonio contraxit affinitatem cum uxore aut marito. cæterum privilegio de quo hîc agimus, possunt Regulares uti etiam extra Sacramentum poenitentiae: licet enim impertiatur Confessariis, non tamen Cōfessarii vocabulum tam importat actuale confessionis exercitium, quàm ipsum officium, & ad tale munus acceptam approbationem, ut ex Lezana, Urbano & aliis bene observat Stephanus à S. Paulo Tract. 4. disp. 12. dub. iv. §. 6. n. 83. Num etiam Parochi, aliive Sacerdotes inferiores habent potestatem dispensandi in votis? Resp. negativè, nisi ex speciali privilegio, aut facultate à legitimo Superiore delegatâ.

Observa tamen dispensationem supra in voto castitatis melius dici voti suspensionem: nam si obligatus tali voto supervivat suæ conjugi, non potest ad secundas nuptias transire per cap. ex part. de convers. conjug. de quo debet moneri, atque hoc clarè constat ex formula dispensationis.

qua